



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Decano Et Capitulo Nivernensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

DECANO ET CAPITULO
beati Macuti de Barro Lingonensis diocesis.

Epist. 199.
De Canonico
non residente.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis quod R. concanonicus vester à longis retroactis temporibus abiit in Vngariam, & ibidem per viginti annos & amplius commoratus, adeptus est ecclesiasticos redditus abundantes. Vnde cum illum non æstimetis ad Ecclesiam vestram de cetero reversurum, per sedem postulastis apostolicam edoceri utrum tibi, fili Decane, ad quem spectat donatio præbendarum, liceat præbendam illius alicui personæ idoneæ assignare, qui Ecclesiæ vestræ valeat deservire. Nos igitur rigorem canonum temperantes, illud vobis duximus concedendum, quatenus ad præbendam illius aliquam personam idoneam in vicarium ordinetis, qui fructus ejus percipiat, & Ecclesiæ vestræ impendat debitum famulatum, donec idem redeat requisitus; & si redire noluerit, vel antequam possit requiri decesserit, ei qui Vicarius fuerat institutus, si se dignum reddiderit per conversationem honestam, eadem canonicè conferatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Februarij, anno decimo.

DECANO ET CAPITULO
Nivernensi.

Epist. 200.
De fructibus
per solventis
Canonico stan-
ti in studio.

CVm, sicut per vestras nobis litteras intimastis, antiqua consuetudo in Ecclesia vestra servata sit hætenus & à singulis Canonici interpositione fidei roborata, ut pueri Canonici citra sacros ordines constituti minores partitiones percipiant, & medietate majorum proventuum in blado consentium ac denariis non fraudentur, mandatum nostrum libenter effectui mandastis quod fecimus ut dilecto filio P. concanonico vestro, nepoti venerabilis fratris nostri Turrinani Episcopi, fructus præbendæ suæ sine diminutione solveretis in scholis, nisi dubitassetis præfata consuetudini contraire, præsertim cum magister P. de Vico procurator ejusdem pueri, prout dicitur, in anima jurarit ipsius quod eam inviolabiliter observaret. Vnde responsum apostolicum postulastis quid faciendum sit vobis è duobus hujusmodi coartatis. Licet igitur talia contra nos non debeant allegari, cum in hoc vel exprimi vel subintelligi debuisset ut salva semper esset apostolicæ sedis auctoritas quæ, disponente Domino super universas Ecclesias & tam res

quàm personas ecclesiasticas obtinet plenitudinem potestatis, alioquin illud debeat tamquam temerarium reprobari, erimus tamen ad removendum omne dubietatis scrupulum hoc contenti, si tantum prædicto P. præsertim in scholis de communibus proventibus persolveritis quantum perciperet de præbenda. Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Kal. Februarij, anno decimo.

EPISCOPO GEBENNENSI
& Abbati Bonævallis Viennensis diocesis.

CVm virtus maturo sese diligit & aspernari contraria dinoscatur, si meritum virtutis & gratiæ quo dilectus filius magister Oliverus noscitur præminere, venerabilis frater noster Gratianopolitanus Episcopus diligentius notavisset, profectò dilexisset illud in eo quod in ipso quemadmodum in Episcopo decet esse, nec compulisset eum ob illud ad nostram præsentiam laborare quod contulisse sibi virtus quidem esse videtur, vitium abstulisse, præsertim cum temperanter extra paupertatem & citra divitiis volens esse, apud ipsum pro sua maluerit caritate necessario, quod sibi dederat, beneficio manere contentus quàm alibi pro virtutibus suis, quæ minimè sustinerent eundem sustinere defectum, amplioribus abundare. Qualiter autem cum super Ecclesia Aspernadi dudum sibi ab eodem concessa, post receptionem litterarum nostrarum, quas eidem magistro de ipsius confirmatione concessimus, aggravaverit, non nos laet, qui verecundiæ suæ parentes, exaggerare nolimus quod est gestum, ne quod iustum est justè agere compellamur. Vnde nos eidem Episcopo per scripta nostra districtè præcipiendo mandavimus ut dictam Ecclesiam cum fructibus inde perceptis memorato magistro sine dilatione resignans, permittat eum ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, suæque probitatis obtentu, ipsam pacificè possidere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si præfatus Episcopus quod mandamus neglexerit adimplere, vos eum ad id, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, qua convenit districtione cogatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum 111. Kal. Februarij, anno decimo.



CONSEN-

Epist. 101.
Scribit in gratiam magistri Oliverij.
Vide nem in sit
cujus habemus
epistolam in
collectione
Bongarsij pag.
1185.
Ad eum scribit
Innoc. 3. lib.
16. epist. 19.